

runtur XXXX. virorum illustrium *Notis*, in editione Basileensi Henricpetrina anno M.D.LXXX. in fol. cum jam ante, anno scilicet M.D.LIII. item in fol. una cum Horatio Venetiis prodissent.

Tot vero tantique labores Sabellici animum ab ejus opere maximo non distraxere, quod jam multos annos erat aggressus. Istud erat universalis ab orbe condito historia ad sua tempora producta, digestum in *Enneadas*, nimirum in partes, quae singulae novenis ex libris coalescerent. Maluit auctor illi esse graecum nomen *Rapsodiae historiarum*, cujus nominis causas exponit ea quae posteriorem operis tomum praebet ad *Democritum* epistola. Opus hoc duos & nonaginta complectitur libros, id est integras decem *Enneadas*, & undecimae duos libros, ad annum M.D.III. deductos. Prior ejus pars prodit in fol. Venetiis anno M.CCCC.LXXXV. ut verba illa sub finem indicant: *Impressum Venetiis per Bernardinum & Matheum Venetos, qui vulgo dicuntur li Albaneloti anno Incarnationis Dominicae M.CCCC.XCVIII. pridie kal. aprilis regnante inclito Augustino Barbadico Serenissimo Venetiarum Principe feliciter diuque & fauste superstite diu. Cornelius a Beughem in Typographiae incunabulis (a)* ait apud quosdam se comperisse, Moguntiae impressas *Enneadas* anno M.CCCC.LXXXII. de qua re, tamen subjicit, se dubitare. At Andreas Chevillier, auctor libri gallici de *Parisiensis typographiae primordiis (b)* pag. 21. Beughemianam referens dubitationem, *Ne dubitandum quidem esse, ait, quia Sabellicus anno eo nondum septem annos natus erat; & quo tempore imprimendos curavit hosce tres & sexaginta libros, illos etiam Veneto Duci Augustino Barbadico nuncupavit, qui tantum anno M.CCCC.LXXXVI. Princeps est salutatus. Audenter itaque dicere debuerat, Moguntinam Enneadam impressionem anni M.CCCC.LXXXII. esse commenticiam.*

Pars haec prior *Enneadam* (opus septem circiter annorum, ut ipse testatur (c) ad Oliverium Cardinalem Carafam scribens) tribus & sexaginta libris, ab orbe condito producit, usque ad captam a Visigothis Romanam, paulo ante Arcadii Caesaris decessum. Duci Augustino Barbadico nuncupatur, cujus emendationi testatur ad *Democritum* suum scribens, quam plurimum contulisse curam & industriam Bernardini Cadoli, Brixiani, monachi Camaldulensis, viri quibuscumque doctrinis sacris & profanis ornatissimi. Cacterum ne praecipitari videretur editio, quae maturari non potuit; quantum in variis occupationibus, per quas ne respirare quidem datur, efficere potui, diligenter curavi, ut quam emendatissimae hae nostrae *Enneades* impressoriam subirent officinam: in qua nuper recognitione multum, ac supra quam dici possit, nostrum juvit laborem Bernardinus Cadolus, Camaldulensis monachus, vir divinarum humanarumque litterarum, ut scis, impense doctus, & ex Brixiansi illa probitate, quam Plinius celebrat multum referens. Fuit illius opera tam nobis utilis, quam jucunda, & in his praecipue, quae ad sacram attinent historiam: quod etiam quodam *Enneadam* loco affirmat. Has maximis laudibus extulere praestantissimi Cardinales (d), Joannes Michaelius, Venetus; Franciscus Piccolhomineus, Senensis, qui Pontifex postea Pius III. dictus est; & Oliverius Carafa, Neapolitanus. At Mediolanensem Dux Ludovicus Sfortia (e) non modo, ad Sabellicum rescribens, id opus verbis amplissimis collaudavit, sed etiam Glandatensi Episcopo, tum suo apud Venetos oratori, mandavit, ut ipsi nomine suo deferret olofericum pannum, atque aureos quinquaginta. Eodem

1498

(a) *Amstel.*
ap. *Jo. Wol-*
ters, 1688.
in 12.

(b) *A Paris,*
chez *Jean*
de Laulne,
1694. in 4.

(c) *Epist. lib.*
VII.

(d) *Ibidem.*

(e) *Epist.*
lib. VIII.